

enim oritur alia difficultas, nam si vera sunt quæ dicimus, sequitur potuisse humanitati communicari, ut esset instrumentum creationis. Probatur sequela, quia si non posset, maxime quia ad operandum instrumentaliter necessaria est actio prævia, quæ in creatione habere locum non potest; sed hoc principium non est necessarium in divinis instrumentis, ut diximus; ergo. Respondeo breviter, argumentum apud me convincere, ex illa ratione sumpta ab actione prævia non satis probari creaturam, atque adeo humanitatem, non posse esse instrumentum creationis, tum quia illa actio prævia non est simpliciter necessaria, ut supra dictum est; tum etiam quia, licet esset necessaria, non tamen in extrinseca materia, ex qua effectum fieri oporteret, sed posset esse actus immanens, aut vox ipsius humanitatis, per quam non magis repugnaret creationem fieri, quam justificationem, vel transubstantiationem, et alia similia opera. Quia hujusmodi actus, qui manet in agente, et solum quoad efficaciam et virtutem suam est transiens, per se non requirit ut effectus fiat ex præsupposito subjecto; ergo ex vi talis actionis non repugnaret fieri etiam ex nihilo, nam etiam transubstantiationis effectus proprie non fit ex subjecto tanquam ex causa materiali quæ maneat in effectu, et nihilominus fieri potest per instrumentum creatum.

12. Quam difficultatem attingens Medina infra, q. 48, art. 6, in fine, respondet creaturas habere inter se ordinem, ratione cujus fieri potest ut, mota una virtute divina, moveantur alia; at vero creaturæ non habent ordinem ad id quod est nihil, et ideo non possunt sumi ut instrumentum creationis. Sed in primo D. Thom. nunquam est hac ratione usus, sed illa, quæ sumitur ex actione prævia, quam ipse non tuetur, nec defendit. Deinde illa ratio magis videtur in verbis quam in re consistere, nam creaturæ non habent inter se alium ordinem necessarium in quo possit fundari instrumentaria actio, nisi quod sunt entia participata a primo ente, et illi subordinata ut primo agenti et imperanti. Unde fit ut una possit efficere aliam saltem per potentiam obedientialem, et alia pendere ab alia; hic autem ordo etiam intercedere potest inter unam creaturam jam factam, et aliam creandam; non enim necesse est ut creatura habeat dictum ordinem ad nihil, quod est terminus a quo creationis, sed ad ipsam creaturam, ad quam creatio terminatur; nam etiam Deus ipse, qui est primum

principium creationis, non habet, proprie loquendo, ordinem ad id quod est nihil, ut sic, sed habet virtutem ut faciat esse aliquid, id quod de se nihil est.

13. *Improbatur discursus qualiter aliqui roborare conentur.* — Aliter hoc alii declarant dicentes, naturalem modum agendi creaturæ esse operari ex subjecto, vel in subjecto, et ideo non posse creaturam assumi ut instrumentum, nisi supponatur subjectum ad quod habeat aliquam habitudinem, cuique præsetet divinum imperium, ut ex illo aliquid efficiat; alioqui actio non poterit esse a creatura ut instrumento, sed a solo Deo. Unde in hunc modum argumentantur: ut creatura instrumentaliter agat respectu Dei, oportet ut virtus divina sese illi accommodet juxta modum ejus, ita ut participet creatura virtutem divinam, et quodammodo illam in se recipiat, et in ea determinetur, et quasi limitetur ad talem actionem et agendi modum; sed hoc non potest intelligi nisi per habitudinem ad aliquod subjectum in quo actio versetur, quæ habitudo in creatione locum non habet; ergo neque talis efficientia instrumentalis habet in creatione locum. Major constat, quia omne, quod recipitur, debet accommodari modo recipientis; deinde quia virtus divina non potest intelligi, in quo accommodetur instrumento creato, vel quam cum illo proportionem servet, nisi ex illo hujusmodi determinationem subeat. Minor etiam constat, quia modus agendi creaturæ est per habitudinem ad subjectum; et ideo, si actio omnino abstrahatur a subjecto, non relinquitur ulla habitudo, vel proportio, secundum quam possit creatura ut instrumentum assumi.

14. *Refellitur prædicta confirmatio.* — Sed hæc verba omnia nullam vim addunt præcedenti discursui, neque excludunt instantias et objectiones factas. Primo enim, si ille discursus efficax esset, etiam probaret creaturam non posse assumi in instrumentum transubstantiationis, quia etiam transubstantiatio non fit ex subjecto, neque in subjecto, ut ex sententia etiam D. Thomæ latius in 3 tomo probamus. Nec refert quod transubstantiatio supponat aliquam materiam ex qua fit ut ex termino a quo, quia habitudo non est subjectum ex quo vel in quo fiat actio, neque est ulla creatura, quæ habeat hunc naturalem modum agendi ex alio, ut ex puro termino a quo. Secundo, simili ratione concludi posset non posse creaturam corpoream assumi ut instrumentum ad agendum in spiritum, quia

modus agendi talis creaturæ est agere ex subjecto corporeo et extenso, neque cum subjecto spirituali habet naturalem proportionem agentis et patientis. Quod si dicatur, satis esse ut habeant aliquam proportionem in ratione entis creati, pari ratione dicam, satis esse quod habeant proportionem in ratione entis creati, ut unum esse possit terminus actionis, et aliud principium instrumentale; nam, si illa proportio sufficit ut comparentur tanquam subjectum et agens, ea quæ natura sua non habebant hanc proportionem, cur etiam non sufficeret ut comparentur tanquam terminus et principium actionis? Unde argumentor tertio: nam, ut supra ostendi, Deus non solum potest elevare ad actiones supernaturales, eas creaturas quæ naturaliter agere possunt, sed etiam illas quæ nullam habent connaturalem activitatem; hujusmodi autem res non habent naturalem proportionem ad agendum etiam ex subjecto; elevat ergo Deus ad agendum ex tali subjecto id quod nullam habet naturalem proportionem ad agendum ex illo. Rursus elevat ad agendum ex subjecto id, quod cum nullo subjecto habet naturalem proportionem ad agendum ex subjecto; ergo poterit etiam elevari ad agendum ex non subjecto id quod ex natura sua nullam habet naturalem proportionem ad sic agendum. Quarta denique ratio a priori est, quia ad divinam actionem nulla alia naturalis proportio necessaria est, præter non repugnantiam seu potentiam obedientialem, ad quam satis est quod creatura, quæ fit, habeat esse dependens, et quod creatura, quæ assumitur ut instrumentum, habeat esse a quo possit alia res dependere. Unde nulla alia limitatio, vel determinatio divinæ virtutis ad hoc est necessaria, nisi quod nolit agere se sola, sed per creaturam, id quod per se solam agere posset. Et in hoc solo sese accommodat creaturæ quam assumit ut instrumentum, nimirum quod non vult actionem fieri sine illa, nec nisi dependenter ab illa. Non vero oportet ut sese accommodet naturali modo agendi creaturæ, sed potius ut illam elevet, eique quodammodo communicet suum operandi modum. Nec etiam proprie virtus divina recipitur in creatura, ut hæc fiat instrumentum, sed solum supernaturaliter adjuvat, elevat, ac movet creaturam modo superius explicato. Unde ad argumentum in forma, concessa majori in bono sensu declarato, negatur minor, quia, seclusa habitudine ad subjectum, potest optime intelligi habitudo ad effectum seu ter-

minum actionis, ad quam satis est proportio in ratione entis creati, quorum unum potest ab alio dependere, et utrumque subjicitur Deo in modo agendi et dependendi.

15. *Alius dicendi modus.* — Aliter dicunt alii creationem consistere in essentiali dependentia creaturæ a Deo, quæ omnino immutabilis est et invariabilis, quia non tam est per actionem mediam, quam per ipsammet entitatem et essentialiam creaturæ, et ideo fieri non posse ut hoc modo pendeat una creatura ab alia; quia omnis dependentia ab alia creata causa efficiente variari potest, et conservari creatura per solam dependentiam quam habet a Deo; et ita per hanc solam creari potest.

16. Dices: si hæc ratio aliquid valeret, etiam probaret non posse unam creaturam produci, vel generari ab alia, quia etiam forma, quæ educitur de potentia subjecti, pendet essentialiter a Deo, et a solo illo; quia per solam actionem illius conservatur, et sola illa dependentia est omnino invariabilis, et simpliciter necessaria ut talis res existat. Respondetur simpliciter negando sequelam, concedendo tamen non posse unam formam creatam ita manere ab alia etiam per generationem, quin simul sufficienter fiat per solum influxum quem Deus habet in tali creatura; non solum quatenus concurrens cum causa secunda, sed etiam quatenus alia via et modo ipse solus eandem rem creat in eodem instanti, ratione dictæ essentialis dependentiæ creaturæ a Deo. Quinimo, licet hic influxus Dei simul tempore sit cum actione causæ secundæ, tamen ordine naturæ antecedit, quia est maxime essentialis, et necessario supponitur alteri. Sed non est hic locus tractandi quæstionem hanc, quæ latissima est, et postulabat ut explicarem modum quo causæ secundæ operantur, et Deus cum illis concurrens.

17. Dico ergo breviter, doctrinam, quæ in hoc modo dicendi supponitur, et falsam esse, et improbabilem, et in præsentis quæstione non satisfacere. Primum patet, quia illa doctrina supponit omnem effectum causæ secundæ prius natura creari a solo Deo, et deinde fieri a creatura. Quod in philosophia absurdum est; nam re ipsa hoc est tollere efficientiam causarum secundarum, et solum verbis illam concedere; et in Theologia potest id esse periculosum, præsertim in actibus liberis, et maxime in malis et peccatis. Secundum patet, quia, esto concedamus hanc

quasi priorem Dei creationem, tamen, sicut potest Deus calorem vel gratiam, quam prius natura ipse creavit solus, alio modo efficere per ignem vel per sacramentum, eadem ratione posset efficere Angelum, verbi gratia, vel cœlum per humanitatem Christi, quamvis prius natura ipse solus easdem res alio modo crearet. Patet sequela argumentis supra factis, quæ probant, eo modo quo una creatura potest pendere instrumentaliter ab alia, non minus posse hoc fieri in creaturis quæ fiunt in subjecto, quam in iis quæ per se et ex nihilo fiunt; ergo illa efficientia Angeli per humanitatem esset creatio, quia esset productio ex nihilo, et quia Angelus non potest alio modo produci. Quamvis fortasse secundum illam falsam doctrinam, non esset illa dicenda prima creatio Angeli, sed secunda, sicut generatio ignis, verbi gratia, non est in hac sententia prima productio ignis, sed secunda; solumque erit differentia, quod in igne prima productio est creatio, secunda generatio, in Angelo vero utraque esset creatio. Nisi forte dicatur, illam secundam actionem seu effectum Angeli non esse creationem, quia non est omnino ex nihilo, cum supponatur jam Angelus creatus alio genere actionis seu dependentiæ. Sed hoc non recte neque consequenter dicitur, quia vel illa actio est productio Angeli, vel non: si non, ergo neque aliæ formæ producentur a causis secundis, quia jam supponuntur productæ alia via a prima causa juxta hanc sententiam; si vero est productio Angeli, illa non est ex præsupposito subjecto; ergo est creatio. Deinde quia, si non est creatio, quid aliud esse potest, cum Angelus producibilis non sit nisi per creationem? Sed totus hic discursus est ad hominem; veritas enim est, formas, quæ educuntur de potentia materiæ, non fieri prius a Deo per creationem, nec per aliam actionem, quam per illam qua concurrunt cum causa secunda ad talem educationem. Unde fit ut, licet creatura ad hunc sensum pendeat essentialiter a Deo, ut non possit existere aut conservari sine actuali influxu Dei, non tamen sit de essentia alicujus creaturæ, ut a solo Deo pendeat, neque ut habeat invariabilem et immutabilem dependentiam sine ulla actione media. Sed ille Dei influxus dari potest nunc per unam actionem, nunc per aliam, nunc media creatura, nunc sine illa, aut juxta diversas rerum naturas, aut pro Dei voluntate et arbitrio in operibus supernaturalibus et miraculosis. Sic igitur non repugnat de-

pendentiæ essentiali quam creatura habet a Deo, ut per aliam creaturam creetur, quia nihilominus dependebat a Deo, quamvis non per eandem actionem, per quam penderet, si a solo Deo crearetur.

18. *An fuerit in Christo potestas creandi. — Ad quodnam miraculorum genus humanitas Christi assumpta. — Durandus.* — Ad difficultatem ergo propositam, quod ad potestatem attingit, concedo me hactenus non invenisse cur sit impossibile, aut quam contradictionem implicet ut creatura assumatur a Deo, ut sit instrumentum creationis; an vero communicata fuerit hæc potestas humanitati Christi, et an illa fuerit aliquando usus, mihi non constat, neque facile affirmandum censeo, quia illa humanitas non est elevata ad omnes actiones, et omnia opera quæ de potentia absoluta per illam fieri possunt; hoc enim a nemine asseritur; et immerito gratis diceretur sine fundamento aut ratione sufficienti. Chrysostomus quidem, homil. 86 in Joann., et Euthymius, Joann. 21, circa illa verba: *Utergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas*, dicunt, illa tria fuisse producta a Christo miraculose ex his quæ non erant; et Chrysostomus addit, non ex materia subjecta. Quorum sententiam referens Toletus ibi, concedit id Christum facere potuisse, scilicet, ex nihilo, vel ex materia subjecta, licet incertum sit quomodo fuerit Christus usus, et probabilius existimat fecisse ex materia subjecta. Assumpta ergo est ad illa opera quæ secundum ordinem divinæ sapientiæ oportuit per illam humanitatem fieri; hæc autem (ut recte D. Thomas dixit) videntur esse illa quæ ad finem incarnationis conferre possunt; quia (ut supra dictum est) hæc potestas non fundatur in aliqua qualitate, neque in sola potentia obedientiali secundum se sumpta, sed ut habente paratum concursum juxta divinam ordinationem, quæ, cum per potentiam absolutam regulanda non sit, non potest commodius ex alio principio, quam ex fine incarnationis definiri et assignari, ut recte etiam notavit Durand., in 3, dist. 13, q. 5. Ad hunc autem finem non videtur necessarium ut assumpserit potentiam creandi, quia nec per opus creationis manifestari commode poterat opus incarnationis, quia non potest esse manifestum an actio fiat ex nihilo; neque oportebat novas res in universo creari, præter animas rationales quæ modo sibi connaturali fiunt. Solum videri posset probabile materiam primam, quæ ponitur subspeciebus Eucharistiæ.

quando ex illis aliquid aliud generatur, fieri per creationem media Christi humanitate, ut instrumento. Sed de hac speciali difficultate suo erit loco dicendum.

19. *Instrumentum annihilationis quomodo esse possit.* — Et ex his constat quid dicendum sit de annihilatione; hæc enim, cum ad non ens simpliciter terminetur, non potest fieri per positivam actionem; quia necesse est omnem actionem hujusmodi ad aliquem terminum positivum tendere, quod est contra rationem annihilationis, et ideo hoc modo repugnat aliquid esse instrumentum annihilationis. Quia vero annihilatio fit per subtractionem influxus, si Deus communicaret humanitati potestatem creandi rem aliquam et conservandi illam, posset etiam in voluntate ejus ponere, ut posset suum concursum subtrahere, et hoc modo in nihilum redigere rem quæ ab illo concursu in suo esse penderet; ideoque recte dixit D. Thomas potestatem annihilandi pendere ex potestate creandi, et per illam esse cognoscendam seu judicandam, sicut privationem per habitum suum.

20. *Objectum potestatis faciendi miracula, in Christo quale.* — Ultimo tandem ex dictis constat quale sit objectum hujus potestatis faciendi miracula, seu ad quas res se extendat. Dicendum est enim, cum hæc potestas non sit qualitas aliqua, vel potestas naturalis, non habere certam et determinatam materiam, sed pendere ex divina ordinatione et concursu, ut dictum est loquendo proprie de potentia proxima, et ad agendum expedita; si enim esset sermo de potentia remota, illa ad omnia, quæ contradictionem non implicant, extendi potest.

## QUÆSTIO XIV.

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

*Deinde considerandum est de defectibus quos Christus in humana natura assumpsit. Et primo de defectibus corporis, secundo de defectibus animæ. Circa primum queruntur quatuor. Primo, utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus.*

*Secundo, utrum assumpserit necessitatem his defectibus subjacendi.*

*Tertio, utrum hos defectus contraxerit.*

*Quarto, utrum omnes hujusmodi defectus assumpserit.*

Postquam disseruit D. Thom. de perfectio-

nibus humanitatis assumptæ, disputare aggredditur de defectibus ejus, tum in corpore, quod in hac quæstione agit, tum in anima, quod expedit quæstione sequenti. Dicit autem videntur hoc loco defectus corporis, non omnes qui in corpore fiunt seu recipiuntur; hoc enim modo omnes defectus sensibiles ad corpus pertinent, et tamen quæstione sequenti inter defectus animæ numerantur; sunt ergo defectus corporis, qui de se corpori conveniunt, et non per animam, nec per proprias potentias ejus, eas præsertim quæ ad cognoscendum et amandum deserviunt.

## ARTICULUS I.

*Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus<sup>1</sup>.*

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod Filius Dei non debuerit assumere humanam naturam cum corporis defectibus. Sicut enim anima unita est personaliter Verbo Dei, ita et corpus. Sed anima Christi habuit omnimodam perfectionem et quantum ad gratiam, et quantum ad scientiam, ut supra dictum est<sup>2</sup>. Ergo etiam corpus ejus debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se habens defectum.*

2. *Præterea, anima Christi videbat Verbum Dei, ea visione qua beati vident (ut supra dictum est<sup>3</sup>), et sic anima Christi erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur corpus; dicit enim Augustinus, in epistola ad Dioscorum<sup>4</sup>: Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, et absque omni defectu.*

3. *Præterea, pœna consequitur culpam; sed in Christo non fuit aliqua culpa, secundum illud 1 Pet. 2: Qui peccatum non fecit. Ergo nec defectus corporales, qui sunt pœnales, in eo esse debuerunt.*

4. *Præterea, nullus sapiens assumit id, quod impedit ipsum a proprio fine. Sed per hujusmodi defectus corporales, multipliciter*

<sup>1</sup> 3, dist. 5, quæst. 1, art. 1, et d. 22, q. 2, art. 1, q. 1, corp.; et 4 contr., c. 55, et opus. 2, cap. 226.

<sup>2</sup> Q. 7, art. 9, q. 9, art. 2.

<sup>3</sup> Q. 9, a. 2.

<sup>4</sup> Epis. 56, non multum ante medium, tom. 2.

videtur impediri finis incarnationis. Primo quidem quia, propter huiusmodi infirmitates, homines ab ejus cognitione impediuntur, secundum illud Isai. 53: *Desideravimus eum despectum, et notissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus est vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri, ex quorum persona dicitur Isai. 51: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. Tertio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem, videbatur et potestas diaboli posse superari, et humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conveniens fuisse, quod Filius Dei humanam naturam assumpserit cum corporalibus infirmitatibus, sive defectibus.**

*Sed contra est quod dicitur Heb. 2: In eo, in quo passus ipse est et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari. Sed ad hoc venit ut nos adjuvaret; unde et David dicebat: *Levari oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Ergo conveniens fuit ut Filius Dei carnem assumpserit, infirmitatibus humanis subjacentem, ut in ea posset pati et tentari, et sic auxilium nobis ferre.**

*Respondeo dicendum conveniens fuisse, corpus assumptum a Filio Dei, humanis infirmitatibus et defectibus subjacere, et præcipue propter tria. Primo quidem, quia ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius satisfacit, dum penam pro peccato alteri debitam, in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet, mors, fames, sitis, et huiusmodi, sunt pena peccati, quod est in mundum per Adam introductum, secundum illud Rom. 5: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors. Unde conveniens fuit, quantum ad finem incarnationis, quod huiusmodi penalitatem in nostra natura susciperet vice nostra, secundum illud Isai. 55: *Vere languores nostros ipse tulit. Secundo, propter fidem incarnationis astruendam. Cum enim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout huiusmodi corporalibus defectibus subjaceret, si sine his defectibus Filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichæi posuerunt. Et ideo, ut dicitur Philippen. 2: *Evaniavit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut****

homo. Unde et B. Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem revocatus, ut dicitur Joan. 20. Tertio, propter exemplum patientiæ quod nobis exhibet, passiones et defectus humanos fortiter tolerando; unde dicitur Hebr. 12: *Sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes.*

*Ad primum ergo dicendum, quod satisfactio pro peccatis alterius habet quidem quasi materiam pœnas quas aliquis pro peccato alterius sustinet; sed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, et ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet, ut infra dicitur<sup>1</sup>. Et ideo oportuit animam Christi, et perfectam esse, quantum ad habitus scientiarum et virtutum, ut haberet facultatem satisfaciendi; et quod corpus esset subjectum infirmitatibus, ut ei satisfactio materia non deesset.*

*Ad secundum dicendum, quod, secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam et corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subjacebat voluntati divinitatis ipsius; ex qua factum est quod beatitudo remaneret in anima, et non derivaretur ad corpus, sed caro pateretur quæ conveniunt naturæ passibili, secundum illud, quod Damascenus dicit<sup>2</sup>, quod beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni pati et operari quæ propria.*

*Ad tertium dicendum, quod pena semper sequitur culpam actualem vel originalem; quandoque quidem ejus qui punitur; quandoque autem alterius pro quo ille, qui pœnas patitur, satisfacit. Et ita accidit in Christo, secundum illud Isai. 53: *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.**

*Ad quartum dicendum, quod infirmitas assumpta a Christo non impedivit finem incarnationis, sed maxime promovit, ut dictum est<sup>3</sup>. Et quamvis per huiusmodi infirmitates absconderetur ejus divinitas, manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad divinitatem perveniendi, secundum illud Romanorum 5: *Accessum habemus per Jesum Christum ad Deum. Desiderabant autem antiqui Patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spi-**

<sup>1</sup> In materia de satisfactione id erat facturus, non complevit.

<sup>2</sup> Lib. 3. c. 15, a med., et cap. 14.

<sup>3</sup> In corp. art.

ritualem, per quam et diabolus vicit, et humanam infirmitatem sanavit.

#### COMMENTARIUS.

*Responsio.* — Affirmat D. Thomas assumpsisse Christum hos defectus, cujus assertionis tres rationes assignat ex fine ipsius incarnationis desumptas. Primam, ex fine satisfaciendi pro nobis. Secundam, ex fine confirmandi et ostendendi magis veritatem incarnationis. Tertiam, ut nobis esset exemplum; quæ omnes claræ sunt. Solum circa primam dubitare potest aliquis; quia enim hi defectus corporis sunt in nobis pœnæ peccati, infert D. Thomas fuisse conveniens, ut Christus in se assumeret eas pœnas quæ nobis erant debitæ. Quo argumento posset etiam concludere, fuisse conveniens ut assumeret pœnam purgatorii, vel inferni, ut quidam hujus temporis hæretici blasphemant; quia etiam hæ pœnæ sunt debitæ hominibus peccatoribus, et pro illis omnibus Christus satisfecit. Respondetur tamen non esse eandem rationem, tum quia illæ pœnæ non decebant sanctissimam Christi animam, ut suo loco dicitur; tum etiam quia illæ pœnæ non sunt proprie ordinatæ ad eum modum satisfactionis voluntariæ, qui viatorum est proprius, et exercetur per modum condignæ recompensationis, sed sunt ad propriam vindictam ipsius peccati, quæ ab ipso iudice sumitur, seu imperatur; pœnæ autem hujus vitæ, quales sustinentur per defectus et infirmitates corporis, sunt accommodatissimæ ad proprium modum satisfaciendi per voluntariam recompensationem, quam Christus viator exhibere debuit. Tum denique quia pœna inferni vel purgatorii non est necessario subeunda peccatoribus, sed solum quasi sub conditione, scilicet, si mortalis peccati veniam non fuerint in hac vita consecuti, quoad pœnam inferni; vel si pro peccato non plene satisfecerint in hac vita, loquendo quoad pœnam purgatorii. At vero corporis defectus seu pœnalitates omnino sustinendæ sunt hominibus a Christo redemptis, neque per aliquam satisfactionem propriam possunt illas vitare, quamvis illis uti possint ad satisfaciendum pro peccatis, et ideo maxime decuit ut Christus in his pœnis fieret similis hominibus peccatoribus, et per eas pro illis satisfaceret. Sed in hac ratione cavendum est aliud extremum; quidam enim existimant, supposito hoc fine incarnationis, scilicet, satisfaciendi pro homi-

nibus, non solum conveniens, sed omnino necessarium fuisse, Christum assumere hos corporis defectus. Ita indicat Bonav., in 3, dist. 16, art. 1, q. 3; Durand., in 3, dist. 15, q. 1, n. 6, qui in eam sententiam citant Anselmum, in lib. Cur Deus homo. Sed tamen revera hoc non sequitur necessario ex fine redemptionis. Primo quidem, quia uno solo actu amoris posset nos per modum meriti sufficienter redimere, ut constat ex supra tractatis, q. 1, art. 2; potuisset autem exercere hunc actum in corpore impassibili, etiamsi corporis defectus non assumpsisset. Et simili modo potuisset pro culpa et injuria in Deum commissa satisfacere per actum reverentiæ et obsequii ad Deum, et veniam hominibus deprecando, et per alios similes actus divini cultus. Ac denique per actum doloris vel tristitiæ in sola anima conceptæ, absque passione corporali, potuisset satisfacere pro qualibet pœna hominibus debita; quam præter naturalem ordinem rerum esset habere animam passibilem in corpore impassibili; ergo simpliciter non fuerunt necessarii defectus corporis ad satisfaciendum pro nobis, fuerunt tamen aptissimi et accommodatissimi, propter rationes dictas. Solutiones argumentorum claræ sunt, sed valde notandæ.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Christus necessitatem his defectibus subjacendi assumpserit<sup>1</sup>.*

<sup>1</sup> *Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non ex necessitate his defectibus subjacuerit. Dicitur enim Isai. 53: *Oblatus est, quia ipse voluit; et loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subjacuit corporalibus defectibus.**

<sup>2</sup> *Præterea, Damasc. dicit in 3 lib. 2: *Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria. Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.**

<sup>3</sup> *Præterea, necessitas infertur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura est potentior quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conservare. Ergo huiusmodi de-*

<sup>1</sup> Infra, q. 15, art. 5; et 3, d. 3, q. 1, art. 2, q. 1, c. fin.

<sup>2</sup> C. 20, in fine.